



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvii Ordinis F. Minorum de
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis
neceßarium**

Cambi, Bartolomeo

Coloniae, 1606

Praxis meditationis in lectionem diei Veneris. Cap. 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

passione scinderis, dum ad eò crudele tormentū & lamentabile mysterium tecum reuoluis?

O bone IESVS salus animæ meæ: da mihi hanc coronam quæ te cruciat: Etenim, quandoquidem anima mea ita dura & ingrata est, vt ex horum consideratione nihil omnino ad commiserationem permoueatur: illa cor meum circumdabo: eam cordi meo imprimam, vt tormentorum tuorum atrocitatem experiatur: & tibi Deo suo, qui pro illius amore omnia hæc sustinisti, compati discat.

Praxis Læctionis diei Veneris.

CAPVT XIII.

*Meditatio
diei Veneris.*

LECTIO diei Veneris, immensa profunditatis & sublimitatis est: insignesque in se considerationes complectitur.

CONSIDERA namque quomodo posteaquam Pilatus vix tandem post plurimas vias pro IESVS liberando tentatas, mortis in eum sententiam huiusmodi tulisset: vt in
crucem

PARS SECUNDA. 263

crucem medius inter duos latrones
colleretur: statim teterrimæ illæ
belluæ I E S V M violenter arrep-
tum, & Cruce grauissima onera-
tum ad montem Caluariae eduxe-
rint, stimulis & fistibus impule-
rint, & per terram fune ad collum
ligatò traxerint: ut ibi eum tan-
quam facinorosissimum hominum,
ac malefactorum Regem, medium
inter duos latrones crucifigerent:
cuius cor non dirumpetur?

PERPENDE deinde, contu-
melias, iniurias, conuitia & blas-
phemias, quæ hæc hominum fax in
I E S V M afflictum & doloribus
plenum iaciebat: quis eheu tantam
indignitatem, sine animi defectio-
ne audire aut videre possit?

Quis I E S V M mansuetum, pon-
derosa Crucis trabe oneratum, in
montem Caluariae ad crucifigen-
dum duci intueatur, & non præ do-
lore deficiat?

Quis afflictum & fatigatum Iesum,
funibusq; ita constrictum, ut se mo-
uere nequeat: calcibus, stimulis, fu-
stibus

stibus ferocissimè impelli & per
 terram raptari aspiciat, & non præ
 dolore rumpatur? Lapidés & saxa
 Christo patienti compatiuntur: &
 tu anima mea lapidibus durior, nul-
 la compassione tangeris?

Quis IESVM sub graui Crucis
 pondere sæpius in terram corruen-
 tem cernat: & non cum illo in ter-
 ram mortuus concidat?

Quis illum humi iacentem, bar-
 bari & impij populi pedibus con-
 culcari: fustibus latera, humeros,
 caput, brachia & crura contundi vi-
 deat, & non tormenta illius & an-
 gustias inconsolabiliter deploret?

Quis denique sanctissimam Ma-
 trem, maximo illius & angustias
 videndi & amplexandi desiderio
 stimulatam, obuiam Christo Cru-
 cem baiulanti procedentem, & po-
 stequam propius ad eum accelsis-
 set, ad pedes illius velut mortuam
 corruentem. Et IESVM supra eam
 cum Cruce tanquã exanimem pro-
 cidentem, intueatur, & non præ do-
 lore animam exhalet?

Quis

Quis feroces illos canes Sanctif-
simā Virginem, vt eam à dilectissi-
mo filio auelleret apprehendentes,
IESVM QVE durissimè, quò de
terra surgeret, cadentes: vt eum
quam citissimè ad supplicij locum
ducerent, ibique in Crucem age-
rent, aspiciat, & non præ dolore ex-
animetur, & simul cum illis moria-
tur?

O bone IESV. O sancta Virgo.
O fili penè exanimis. O Mater mœ-
rore ac dolore confecta, quis non
compatietur tanto dolori, qui ex
angustijs tanti filij & tam eximie
Matris permistus & cõpositus est?

Quis IESVM ad montem Cal-
uariæ raptari & Matrem velut mor-
tuam in brachijs Mariæ Magdalenaë
in aspera rupe residentis, iacere
conspiciat: & non maximo dolore
transfigatur?

• Perge anima mea, & IESVM ad
Crucem comitare, nam mihi prop-
ter imensos Matris dolores, apud
sanctam & exanimem Matrem re-
manere necessarium est.

M

Praxis